8

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

CESSATIONE SCTI MACEDONIANI

QUAM

SOSPITANTE DIVINO NUMINE

IN REGIA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

CONSENTIENTE MAGNIFICA

FACULTATE JURIDICA

SINE PRÆSIDE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES DOCTORALES CAPESCENDI

SOLENNI ERUDITORUM CENSURÆ

AD DIEM 26 OCTOBRIS ANNO MDCCXXXVII



SUBJICIET

FRANCISCUS IGNATIUS WEIS,

DIEBOLSHEMIO-ALSATA.

Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.


Reverendissimis , Perillustribus ,
atque Generosissimis

DOMINIS
S. R. I. EQVITIBVS
HÆREDITARIIS
AB ET IN ANDLAV
VIRIS
OB ANTIQVITATEM STEMMATIS, ET MAXIMA
IN RE ECCLESIASTICA, MILITARI ATQVE
CIVILI MERITA VNDIQVAQVE
EMINENTIBVS

DOMINIS SVIS GRATIO-
SISSIMIS

HOC QVALECVNQVE STVDIORVM SVORVM
SPECIMEN
OB IMMENSA
IN PARENTEM ET SE COLLATA BENEFICIA
CEV DEBITVM PIETATIS GRATIQVE ANIMI MONV-
MENTVM IN VLTERIOREM SVI COMMENDATIONEM
EA, QVA PAR EST, MENTIS VENERATIONE
SACRVM ESSE JVBET
PERILLVSTRIS ANDLAVIANI NOMINIS

Admirator & Cultor subjectissimus
FRANC. IGNATIVS WEIS,
Diebolshemio - Alsata.



DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

CESSATIONE SCti MACEDONIANI.

§. I.



Alutem Reipublicæ ſupremam legem eſſe nemo abnuet, niſi qui forte domi hoſpes ac peregrinus plane extiterit. Recte itaque omnibus illis, qui ad urbium, provinciarum, regnorumque gubernacula ſedent, incumbit, ut oppreſſis jus adminiſtrent, probos protegant, malos compeſcant, ſubditis ſuis quietem procurent, talesque ſemper leges ferant, quæ ſalutem civium promovent, promotam ſtabiliunt atque ſtabilitam tuentur. Inter ejusmodi ſalutares Reipublicæ conſtitutiones

ſummo jure referri poteſt & SENATUS CONSULTUM MACEDONIANUM, quod non tantum Parentum autoritati & ſecuritati proſpexit, ſed & coercuit malitiam atque improbitatem fœneratorum, qui mutuatitia ſua pecunia filios familias ad vitam luxurioſam ſeducebant, publicam diſciplinam corrumpebant, amplumque peccandi campum malis moribus, inſidiisque vitæ parentum aperiebant.

§. II.

Eſt autem SCtum MACEDONIANUM beneficium *Juris Civilis, quod prohibet, ne filiusfam. absque conſenſu Patris mutuam pecuniam accipiens valide exinde obligetur.* Quod ſi itaque Creditor contra hoc SCtum filiofam. crediderit, denegatur ipſi actio tam adverſus filium filiamve, Nepotem, Neptemve, ſive adhuc in poteſtate ſint, ſive poſtea morte parentis vel emancipatione ſui juris eſſe cœperint, quam adverſus Patrem, Avumve. *§. 7. J. quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt. L. 1. L. 3. ff de SCto Maced.* Quamobrem ſi Creditor pecuniam creditam à talibus perſonis repetere velit, opponitur ipſi Exceptio SCti Macedoniani, quæ eſt *exceptio perpetua, realis, peremptoria, qua excluditur intentio ejus, à quo mutuam pecuniam filiusfam. contra SCtum hoc accepit.* Licet autem per hanc exceptionem intentio.

tio creditoris elidi possit, dantur tamen nihilominus casus, in quibus SCtum Macedonianum vim suam perdit atque cessat. De quibus impræsentiarum mentionem facere proposuimus.

§. III.

Cessat vero hujus SCti Macedoniani exceptio variis modis, nimirum vel intuitu *Dantis*, vel *Accipientis*, vel *Patris*, vel *Objecti*. Ex persona *Dantis* seu *Creditoris* non valet, si creditores facultatem mutuum dandi non habent, e. g. Pupilli, *L.* 3. §. 2. *ff. de SCto Maced.* His credentibus succurritur duplici modo; aut enim dederunt Pupilli mutuam pecuniam filiosam. sine *auctoritate tutoris, aut eo consentiente*. Illo casu ipso jure Pupilli tuti sunt, & licet alteri crediderint pecuniam, pecunia tamen non fit mutua; nisi autoritas tutoris interponatur. Nam cum mutuum, in quo transfertur dominium, species alienationis sit, & pupilli sine autoritate tutorum alienare neutiquam possint, dominium in filiumfam. accipientem non transfertur, sed pecunia adhuc extans vindicari potest §. *ult. J quibus alien. licet.* Quod si vero jam consumta, condictione repetere possiunt sine ullo metu exceptionis SCti Maced. *L.* 19. *in f. ff. de Reb. cred.* Quid autem dicendum, si tutoris autoritas interposita fuerit? Respondetur, Pupilli ex capite minorennitatis contra SCtum adjuvabuntur *L.* 11. § *f. ff. de Minoribus.*

§. IV.

Eodem beneficio fruuntur etiam Minores, qui vel ſine vel cum conſenſu Curatorum filiofam. pecuniam. mutuam credunt. Quod ſi autem Curatorem non habent, tunc videndum, utrum filiofam. etiam *minori*, an vero *majori* pecuniam dederint. Priori caſu, ſi à minore creditum fuerit etiam minori, rurſus videndum erit, utrum pecunia credita penes minorem debitorem adhuc ſalva exiſtat, aut tempore litis conteſtatæ exinde inveniatur locupletior, vel non. Illo caſu potior erit cauſa creditoris minoris *L. 34. pr. ff. de Minor.* quoniam, ſi duo privilegiati concurrunt, & unus de damno vitando, & alter de lucro captando certat, is præferri debet, qui de damno vitando agit. MANTICA *de ambig. conv. L. 8. t. 7. n. 26.* Hoc vero caſu ſi minor debitor pecuniam à minore creditore mutuo acceptam jam conſumſerit, tunc in pari cauſa melior erit conditio conſumentis vel dilapidantis, in *d. l.* §. *6. L. 34 ff de minor. L. 128. pr. ff de R. I.* Id quod decantatum Juris axioma probat: nempe: *Privilegiatus contra aque privilegiatum non gaudet privilegio ſuo.* Hinc pecunia credita non alias condici poteſt, quam ſi verſa ſit in rem accipientis, aut minor creditor probare poſſet, ſe à minore debitore callide vel doloſe deceptum fuiſſe; hoc enim caſu creditori minori per reſtitutionem in integrum

grum succurrendum esse dicam, quoniam malitia supplet ætatem. vid. MOZZ. *in Cont. Mutui de Personis. n.* 11. *& seqq.*

§. V.

Posteriori casu Minor pecuniam mutuam dans filiosam. majori securus est propter restitutionem in integrum, & magis ætatis ratio, quam SCti Macedoniani hoc in casu consideratur *L.* 11. §. *f. ff. de Minor.* Ratio hæc est, quod SCtum hac ex parte odiosum, illa vero per omnia favorabilis dicitur, præsertim cum ob immaturitatem & imbecillitatem Judicii minoribus Jus ignorare liceat, consequenter ex hoc capite ei subveniendum erit, ut non videatur filiosam. credidisse. *L.* 9. *ff. de Jur. & fact. ignor.* Quæ cum ita sint, contrarium dicendum erit, si minor creditor scivit beneficium SCti Macedoniani ejusque efficaciam, & tamen filiosam. credidit. Quo casu talis minor creditor repellendus est, nec auxilium vel levamen præbent prædicta *L.* 9. *ff. de Juris & fact. ignor. & L.* 3. §. 2. *ff. de SCto Maced.* quippe quæ ignorantiam minoris præsupponunt.

§. VI.

Secundo nullum locum habet exceptio hæc, si filiusfam. sit mutuans & mutuatus pecuniam paternam, quoniam nullum jus hac de re disponendi

di & alienandi habet. Idem dicendum eſt, ſi forſitan ex peculio profectitio alii filiofam. certam pecuniæ ſummam credidit; Hæc enim pecunia non fit accipientis, quia licet ipſi libera adminiſtratio peculii profectitii à patre permiſſa ſit, tamen huic non videtur eſſe conceſſum pecuniam mutuam ex peculio dare, hoc enim eſt perdere. Cum itaque filiofam. peculium ſuum dilapidare permiſſum non ſit à Patre *L. 7. pr. ff. de donat.* utique etiam pecunia illa mutuo data, ſi adhuc extat, à Patre vindicari poterit. *L.* 3 §. 2. *ff. de SCto Maced.* An vero conſumta condici poſſit? alia quæſtio eſt; Plerique cum BARBOSA *ad L. 2. C. ad SCtum Maced. n.* 31. ANTON. MATTH. *Diſp. de Oblig.* 9 §. 4. & GODOFRD. DE JENA *in tract. de SCto Maced. Sect. 5. Aphor.* 1. *n.* 11. eam non ſine ratione affirmant.

§. VII.

Tertio ex perſona dantis eliditur hæc SCti Maced. exceptio, ſi frater fratri mutuam dedit, & uterque in ejusdem Patris poteſtate exiſtit. *L. 38. ff. de condict. indeb. &* § 6. *J. de Inut. ſtipul.* Ratio autem, quam vulgo Doctores Juris afferunt, non videtur eſſe adæquata; Dicunt enim, ea ex cauſa ceſſare hoc in caſu SCtum Macedonianum, quoniam à fratre nulla fraus, nullaque calliditas erga fratrem committi poteſt, quam quæ ab extraneo Creditore; vid. DUENN. *Reg.* 369. *n.* 1.

MAN-

MANTICA *de Tacit. & ambig. convent. Lib. 8. c. 7. n. 31.* Mihi videtur ſequentem rationem decidendi allegari poſſe; quoniam uterque contrahens ejusdem poteſtati & voluntati ſubeſt, adeoque alter alteri civiliter non obligatur. vid. STRUV. *Syntagm. Civ. Exerc. 6. th. 42.* Hinc contrarium dicendum erit, ſi frater emancipatus fratri ſuo in patria poteſtate adhuc conſtituto mutuetur pecuniam, hoc enim caſu illi SCtum Macedonianum opponi poſſe non dubitant Jurisconſulti.

§. VIII.

Quarto ex qualitate Creditoris tolli poteſt eadem Exceptio, ſi Creditor juſto errore ductus putaverit, debitorem eſſe patremfam. quoniam error communis excuſat creditorem, qui in eo errore fuit *L. 2. C. ad SCtum Maced.* imprimis cum jura ad id, ut hoc SCtum locum habeat, in creditore requirant, ut conditionem debitoris ſciat *L. 3. §. 2. & L pen. ff. eodem.* Quamobrem incumbit Creditori, qui vult aſſequi hoc, quod mutuo dedit filiofam. ut hanc ſuam probabilem credulitatem probet, & doceat, ſe non vana ſimplicitate & juris ignorantia deceptum eſſe, *L. 1. C. eod.* Ratio eſt, quod is, qui fundamentum intentionis conſtituit in allegatione ignorantiæ, eam probare debet, alias facile foret allegare & elidere SCtum hoc, præſertim cum emancipatio & alii modi tol-

lendi Patriam poteſtatem ſint res facti, quæ in dubio non præſumuntur, & probari debent. vid. CHRISTIANÆUS *in Vol. 3. Dec. 35. n. 7.* Moribus hodiernis reputatur quis ſui juris eſſe, non ex certo temporis ſpatio, ſed communiter pro Patrefam. habetur, ſi vel ſua ſeorſim agat, & matrimonio contracto peculiarem œconomiam aut propriam negotiationem inſtituat, aut vectigalia publica conducta habeat. His probatis adimetur contra filiumfam. beneficium SCti hujus, præſertim ſi ipſe ſe patremfam. mentitus ſit. Ex his patet, quod omni Creditori, qui ſcivit, aut ſcire potuit debitorem ſuum eſſe filiumfam. ſemper obſtet exceptio SCti Maced. vid. STRUV. *Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 3. th. 68.*

§. IX.

Quid ſi autem duo ſint Rei Credendi, quorum unus ſcivit, vel ſcire potuit, alter vero juſta ignorantia ductus ignoravit, debitorem eſſe ſub poteſtate patria, quæritur, an unius ſcientia noceat alterius juſto errori, ita ut nihilominus utrique exceptio hujus SCti opponi poſſit? Reſpondetur, unius ſcientiam nocere ambobus in odium creditoris legimus in *L. 7. §. 7. ff de SCto Maced.* & propter conjunctionem obligationis *L. 2. ff &* *§. 1. J. de duobus reis.* Verum concedendum eſſe hoc exiſtimo, ſi conjunctim crediderint ex una

maſſa

maſſa ſeu communi pecunia, quam ex certa negotiatione lucrati ſunt, vel terreſtri, vel maritima, quia tum in cauſa communi alter alterum admonere debebat. Res vero aliter ſeſe habet, ſi duo uno eodemque tempore disjunctim mutuum eidem conceſſerint; nemo enim extra caſum ſocietatis adſtrictus eſt, alterum præciſe de re ſua admonere aut eidem negotii privati geſti rationes & cauſas reddere. Hinc dicendum in hoc caſu neutrum alterum ad ſe trahere, ſed ignorantia proderit erranti, & ſcientia oberit ſcienti. Inſuper in *L. 7. §. 7. ff. eod.* alius plane caſus exhibetur, in quo exceptio SCti Maced. locum habet, loquitur enim iſta lex duobus correis debendis, de quibus in paragrapho ſequenti dicam.

§. X.

Quæritur, quid ſtatuendum ſit, ſi duobus filiisfam. creditor pecuniam mutuam dederit, quorum unum patremfam. eſſe probabili ratione putavit, alterum vero filiumfam. eſſe ſcivit? Regulariter DD. cum BRUNNEMANNO ad *L. 7. §. 8. ff. de SCto Maced.* videndum eſſe dicunt, ad quem pecunia pervenerit, ſi ad illum, quem filiumfam. eſſe ſcivit, valide opponi poſſe Exceptionem hujus SCti ſtatuunt, ſecus vero, ſi ad eum, qui filiusfam. probabiliter putabatur. Inveniuntur tamen quidam, qui in hiſce caſibus ad veriſimilem opinionem creditoris admittendam exigunt, ut fi-

liusfam. per decennium pro patrefam. se gesserit, vel habitus fuerit, idque cum BARTOL., BARDO & aliis sentiunt TRENTACINQ. *Lib.* 3. *Resol.* 19. *de solut. n.* 10 & ZANGER. *de Exceptionibus P.* 3. *c.* 12. *n.* 28. Quod tamen dictus TRENTACINQ. *d. l.* limitat, ut non procedat, si filiusfam. simul asseruerit se esse Patremfam. Verum circumstantiam hanc temporis nullius momenti esse credam cum MENOCH. *L* 6. *Præsumt.* 55. *n.* 28. & WESEMBECIO *in Comment. ad Cod.* quoniam in jure nostro certus annorum numerus non sit determinatus; sufficit itaque tales actus ab aliquo gestos esse, qui non nisi à Patrefam. fieri solent, & Creditorem non fuisse in vana simplicitate aut juris ignorantia. vide plura apud GODOFREDUM DE JENA *dicto tract. Sect.* 5. *Aphor.* 3.

§. XI.

Quinto denegatur beneficium SCti Macedoniani filiofam. debitori, si Creditores in fraudem & præjudicium tertii pecuniam mutuam dederunt. Sic si libertus in fraudem Patroni pecuniam crediderit, exceptio SCti locum non obtinebit, quoniam magis donasse, quam contra SCtum Maced. credidisse censendus est. Idcirco Patronus illam pecuniam non quidem ut mutuum condicere, sed ut rem contra leges alienatam actione Faviana repetere potest *L.* 6. *&* 7. *ff. si quid*

quid in fraudem Patroni Eadem quoque locum inveniunt in omnibus eis casibus, ubi in fraudem Creditorum debitores res suas aliis mutuo præbent, habemus enim ideo actionem Paulianam in jure nostro saluberrime introductam, ut tales res in fraudem creditorum alienatæ revocari possint.

§. XII.

Hactenus diximus de modis, in quibus cessat SCtum Mecedonianum ex parte Dantis seu creditoris; transeamus nunc ad alteram classem, & videamus, quando idem beneficium rejiciatur ex qualitate *Accipientis* seu *Filiifamilias*. Et *primo* quidem dicendum est, quod ex hac ratione validum non sit hoc beneficium, si nimirum filiusfamilias castrense peculium habeat. *L. 1. §. f. L. 2. ff. de SCto Maced.* Ratio hæc allegari potest, quoniam in hoc peculio vice patris fungitur ob favorem militiæ *L. 3. C de Castrens. Pecul Mil. L. 1. § 15. ff. de Collat.* Ergo ibi libere contrahere potest usque ad quantitatem peculii *L. 2. ff. ad SCtum Maced.* Hoc deinde per specialem constitutionem Imperatoris Justiniani in *L. ult. §. 1. C. eod.* ad quemvis filiumfam. qui miles est, extensum fuit; Dicit enim Imperator: Si filiusfam. miles pecuniam mutuam acceperit sive sine mandato sive cum consensu seu ratihabitione Patris stare oportet con-

tractum, nulla differentia introducenda, ob quam causam pecunia credita, vel ob quem finem consumta sit, sive habeat peculium castrense vel non. Miles enim est à patria potestate liberatus non quidem personaliter §. 4. *J. quibus modis Patria Potest.* sed respectu contractuum & negotiorum, quæ tanquam miles in militia gerit. Nec adest Jure Rom. præsumtio, istum in aliam causam nummos accepisse, quam in causas castrenses, quoniam miles, quem longæ & incertæ à penatibus Patriis peregrinationes subjicere variis improvisque necessitatibus solent, non habebat occasionem luxuriæ, sed sub gravi disciplina stabat. Accedit & illud, ut facilius & citius tempore belli pecuniam invenire possint. Quæritur autem, an hodiernis moribus, licet severa illa disciplina quoad præcavendam luxuriam exoleverit, hoc adhuc in viridi observantia sit? Dici debet quod non, interim tamen testantur duo Responsa Juridica contrarium, Alterum est *Facultatis Jenensis de anno* 1628. teste RICHTERO *in Cent. reg.* 1. *n.* 18. Alterum *Facultatis Lipsiensis de anno* 1647. teste PHILIPPI *in usu Pract. ad* §. 7. *J. quod cum eo &c. Ecloga* 61. *n.* 12.

§. XIII.

Idem dicendum venit in militibus cœlestis militiæ & Justitiæ, nempe Clericis, Judicibus, Professoribus, Doctoribus, Advocatis, aliisque similibus personis peculium quasi castrense habentibus. Quo-

Quoniam, licet non liberentur per talem dignitatem à poteſtate patria, tamen hoc peculium filiisfam. tanquam patribusfam. præcipuum ac proprium eſt, & ad inſtar peculii caſtrenſis effectum ſuum ſortiri debet. Et proinde etiam non aliter ceſſabit SCtum Macedonianum, quam usque ad quantitatem peculii *L. 2. ff. h. t.* videatur GRATIANUS *in diſcept. Forenſ. cap. 576. n. 3. &c.* An autem hoc in peculio adventitio irregulari, in quo & proprietas & uſusfructus filio competit, locum habeat? quæſtio eſt apud JCtos intricatiſſima, & in qua non unanimis DD. reperitur opinio. Illi, qui negativam fovent ſententiam, ſequentes movent rationes: 1) quoniam non ſola adminiſtratio & diſpoſitio rerum ſuarum libera absque patrisfam. titulo non facit ceſſare SCtum, conſtat enim ex jure, quod filiusfam. licet dominium liberrimum hoc in peculio habeat, nihilominus tamen minime titulum patris ſibi attribuere poſſit, ſed permaneat ſub poteſtate patria, & licet ratione peculii caſtrenſis & quaſi valide mutuum accipere queat, tamen magnam diverſitatis rationem inter hoc & illud ponunt. quoniam de illo caſtrenſi & quaſi & inter vivos & mortis cauſa ob favorem militiæ & literarum diſponere poſſunt, de adventitio vero tantum inter vivos. Allegant & in patrocinium ſuæ ſententiæ *L. 1. §. f ff. de SCto Maced.* in qua dicitur, Beneficium hujus SCti tantum ceſſare in peculio caſtrenſi & quaſi, ideo

non

non extendendum ad adventitium irregulare. Verum his non obſtantibus mihi magis arridet affirmantium opinio, quæ efficaciam SCti hujus in peculio adventitio irregulari denegat; Et quidem ea ex ratione, quoniam Jure noviſſimo per *Nov.* 117. de hoc peculio libera & pleniſſima diſponendi facultas eſt conceſſa, ideo dubium non adeſſe videtur, quin de eo etiam ſe obligare & mutuum contrahere poſſit, præſertim cum exinde patri nullum oriatur præjudicium, & ita docent CONANUS *Lib.* 7. *comm. Jur. Civ. cap.* 2. TRENTACINQ. *Reſol.* 19. *n.* 5. HOPPIUS *ad* § 7. *J. quod cum eo &c.* BARBOSA *ad L.* 2. *C. de SCto Maced. n.* 30, *aliique.*

§. XIV.

Secundo non ſuffragatur SCtum hoc, ſi mutuum datum ſit filio, qui à patria poteſtate vel per emancipationem, vel per ſeparatam œconomiam liberatus eſt. *L.* 3 §. *ult. L.* 1. § 1. *ff. h t.* Quæritur autem, an etiam per dignitatem à patria poteſtate liberato non patrocinetur hoc beneficium? Reſpondetur, hac in re DD. rurſus variare; Sunt enim, qui volunt hanc exceptionem adhuc admittendam eſſe, ſi liberi per dignitatem ſui juris facti mutuum contraxerint, & quidem ea ex ratione, quoniam, ut credunt, filiusfam. per dignitatem cenſetur liberatus à patria poteſtate ſaltem quoad odioſa, non vero quoad favorabilia, unde & ſuus heres manet & beneficium reſtitutionis in integrum

grum

grum retinet, ita HAHN. *ad Wesenbec. h. t. n. 5.* & BARBOSA *ad L. 2. C. h. t.* Verum ego negantium castra sequor, statuens: quod omnis dignitas, quæ patriam potestatem tollit, faciat quoque cessare SCtum Macedonianum. Ratio est clara, quoniam desinunt esse filiifam. & quicquid acquirunt, sibi pleno jure acquirunt, & hinc ære alieno onerati habent, unde solvant. Nec valent argumenta in contrarium allata, quoniam, licet jura familiæ ipsi salva maneant; *Nov.* 81. *c.* 2. hoc tamen neque ad jura familiæ pertinet, neque in filiorumfam. favorem, sed potius in odium creditorum & securitatem parentum introductum est. *L.* 40. *ff. de Cond. indeb. L.* 9. §. *pen. ff. de SCto Maced.* Imo absurdum foret, ut inquit BUSIUS ad *L.* 1. §. *f. n.* 3. *ff. eod.* ei privato nomine cum periculo credi, qui negotia Ecclesiæ gravissima vel Reipublicæ gerit. Ita sentiunt PAUL. DE CASTRO in *L.* 1. §. *f. ff. eod.* WESENBEC. *n* 5. *h. t.* aliique, qui præter hanc rationem & alias adhuc adducunt. An vero Principum filii SCto hoc uti possint, quæstio est etiam intricata & ardua. CONANUS & BARBOSA eam negant; Verum cum eadem ratio juris in iis militet, imo majus etiam periculum ex malitia fœneratorum hic Reipublicæ immineat, utique nec Principum filiis hujus SCti auxilium denegandum censeo cum *Celeb.* SCHILTERO *in Exerc. ad ff.* 8. §. 77.

§. XV.

Quæritur autem, an SCtum hoc cesset in casu, si pater ab hoste captus, & durante captivitate mutuum filius acceperit? Respondetur, cum Jure Romano Patria Potestas interim sit suspensa, adeoque jus liberorum & SCti causa in pendenti erit §. 5. *J. quib. mod. jus Patr.* Quamobrem quamdiu filius fam. in possessione constitutus est, tamdiu exceptio locum habet, donec ex postfacto constet, an pater redeat jure postliminii, atque tunc fiet perpetua, cum in civitate eum semper fuisse fingatur §. 7. *eod.* Si vero in captivitate mortuus sit pater, tunc beneficium SCti ipsi non proderit, cum ex L. Cornelia censeatur statim a die captivatis mortuus. Hodie vero hæc omnia non observantur, cum captus non reputetur pro servo, & patria potestas quoque non suspendatur. Inde, si in captivitate exspiraverit, non à die captivitatis, sed demum à die mortis filius sui juris factus dicitur. Idem dicendum, si pater sit furiosus, & durante furore filius de mutuo contraxit; furor enim patris non impedit SCtum, cum nullibi legatur, furorem Patris esse modum dissolvendi patriam Potestatem, præsertim cum semper causa, ob quam hoc SCtum introductum, locum habere, & filiumfam. patris furiosi vitæ ejusque bonis facilius insidiari possit. Quam sententiam contra BALDUM & TIRAQUELLUM defendit TRENTACINQ.

TACINQ. *Resol.* 19. *n.* 16. *per L.* 8. *ff. de his qui sui vel alie.*

§. XVI.

Tertio SCti Macedoniani favor non prodest, si filiusfam. stipulatus quidem sit sibi mutuum dari, facta tamen est numeratio, postquam exivit é Patria potestate. *L.* 3 § *f ff. h. t.* Quando enim dicitur, non licere filiofam. pecuniam mutuam credere, illud non ad tempus contractus referendum, quoniam mutuum accipientis qualitas consideratur, & requiritur tempore numerationis vid. *d. l.* 3. §. *f L.* 4. 5. *&* 6. *ff h. t.* In omnibus enim negotiis ad initium actus respiciendum est, & licet filiusfam. adhuc in patria potestate constitutus jam pactum inierit de mutuo solvendo, nondum tamen contractus mutui erat, quoniam ad ejus perfectionem requiritur rei traditio. Cum itaque hæc demum, postquam sui juris factus est, peracta, sequitur quod in solidum damnandus sit *L.* 5. *ff. h. t.* Ex eodem fundamento exceptioni locus erit, si paterfamilias stipulatus sit sibi mutuum dari, postea vero numeratio facta est filiofam. quoniam numeratio facta est eo tempore, quo erat sub potestate patria, & causæ, ob quas SCtum introductum, locum habent.

§. XVII.

Quarto denegatur vis hujus SCti, si filiusfam.

 mortuo

mortuo patre vel alio modo sui juris factus obligationem agnoverit. *L. 2. C. h. t.* Cessat enim periculum patris, & non tam convalescit prior obligatio, quam de novo contracta censetur, cum debuisset rejicere. Fieri autem potest hæc agnitio tribus modis, 1) *Solvendo.* 2) *Accessiones adjiciendo,* 3) *Novando.* Solutione debitum agnoscitur, si vel totum solvatur, vel tantum pars debiti. De illo modo nullum plane dubium est; de hoc vero maximopere inter Doctores controvertitur. Affirmativa communiter recepta est, quam & ego defendere non vereor, dicens: filiumfam. qui sui jurisfactus, & partem debiti solvit, ad residui quoque solutionem cogi posse. *L. 7. §. f. junct. § præced. & seq. L. 9 pr. ff. h t.* quoniam, qui partem debiti solvit, ad quod integrum solvendum naturaliter est obligatus, is videtur agnovisse totum, cum nulla pars intelligi queat, nisi totius, cujus pars sit, & ideo idem est, ac si patrifam. pecunia concredita fuisset. Ita sentiunt LAUTERBACH. *in Coll. ad ff. h. t. §. 21.* BRUNNEM. *ad L. 7. ff. h. t.* PEREZ. *aliique.* Nec valent adversariorum rationes, quas post *Bulgarum* FRANC. CONNANUS *Comment. 2. n. 8.* & BACCHOV. *ad Treutlerum Vol. 1. disp. 20. th. 8 Lit. A & B.* aliique afferunt. Primam quidem dubitandi rationem quod attinet, qua verba in *L. 7. § f. ff. h. t.* non generaliter sed restricte sumta esse volunt: *Cessabit SCtum,* scilicet quoad summam solutam, quod ex verbis subsequentibus eliciunt:

cium: *nec solutum repetere potest*, ex quo non sequatur, ergo residuum solvere debet, ad hanc ita responderi potest. Si paterfam. solverit, cessat SCtum, necessum de eo intelligamus, quod solvendum adhuc restat, quoniam alias nihil interesset, quod paterfam. solverit, cum adhuc in patria potestate constitutus solvens soluti repetitionem non habeat *L.* 9. §. *ult. & L.* 10. *ff. h t.* & quis statueret, filium sui juris factum, quod solvit, repetere posse *L.* 40. *ff. de Cond. indeb.* Ideo omnino verius est, quod verba, *Cessat SCtum*, necessario ad non solutum repetendum & ad residuum, & verba, *Solutum repetere non potest*, ad datum referenda sint. Nam hæc sunt verba ULPIANI *in L.* 7. §. *ult. Si paterfam. factus solverit partem debiti cessat SCtum; nec solutum repetere potest.* Nec officit secunda eorum objectio, quam ex *L.* 9 *in pr. ff. eod.* colligunt, imo potius nostram sententiam firmat. Utraque enim *Lex* tam 7. quam 9. est ex ULPIANI *libro* 29. In priori dicitur, quod per solutionem partis cesset SCtum, in posteriori vero, *Sed si paterfam. pignus dederit, dicendum erit, SCti exceptionem ei denegandam usque ad quantitatem pignoris.* Ratio disparitatis in §. seq. patebit.

§. XVIII.

Secundo ista agnitio fieri potest accessiones adjiciendo, v. g. Si filiusfam. sui juris factus fidejussores in pecuniam mutuam constituit, aut pignus,

gnus, ſed usque ad quantitatem pignoris duntaxat *L 9 ff. h. t.* Hinc ſi filiusfam. 100. florenos mutuo accepit, & poſtea ſui juris factus dedit pignus, quod valet 50. ſaltem, illud pro dimidia parte crediti à creditore retineri poteſt, nec ad alteram partem ſolvendam agere. *d. L. 9.* Ratio diverſitatis hæc eſſe videtur, quæ à DONELLO refertur: qui dicit: differentiam ſumendam eſſe ex verbis partim ſolventis partim pignus dantis; Is enim, qui expreſſe partem ſolvit, & dicit, ſe ſolvere partem debiti ſeu ejus, quod debet, agnoſcit non tantum illam partem, quam ſolvit, ſed & illud debitum, cujus partem ſe nunc ſolvere profitetur, ideoque totum, quia pars niſi totius, cujus pars ſit, intelligi non poteſt, & pars pro debito & alia pro indebito haberi nequit. Aſt qui pignus dat, agnoſcit quidem debitum aliquod, & dicit, ſe dare pro debito, non tamen adjicit, an pro toto, an pro parte, & pro qua parte dederit. Ideo qui pignus conſtituit, illud non dat in ſolutum, ſeu ut obligatio extinguatur, ſed ad ſecuritatem ſaltem tantæ ſummæ, pro qua pignus vendi poſſet, & ejus voluntas ad quantitatem pignoris reſtricta eſt, & ſic eatenus tantum ſolvere velle indicavit, vid. LAUTERBACH. *in Coll. ad Pand. h. t.* §. 21. Quam ſententiam in foro retinendam eſſe exiſtimat STRYCK. *in U. M. h. t.* §. 12.

§. XIX.

Tertio agnitio quandoque contingit Novatione

tione, *L. 2. C. h. t.* si scil. filiusfam. paterfam. factus novationis causa eandem pecuniam vel aliud quid stipulanti promittit, aut etiam sine stipulatione pacto constituat, se soluturum, nisi in facto erraverit, putans se ex alia causa debere, quam ex mutuo. Illud tamen observandum, quod in hac agnitione sollicitum esse oporteat creditorem, ne nudis circumstantiis sit contentus, sed expressum novationis vocabulum promissioni inseri curet. Deinde non omittendum est; quod agnitio filii sui juris facti tollat quidem vim & efficaciam SCti hujus pro se, non vero respectu Patris & fidejussoris, quamvis ratihabitio patris confirmet in omnes adversus quos, ni SCtum obstaret, actio Jure Civ. competeret. Ratio hæc esse videtur, quoniam ut mutuum consistat adversus omnes, ex SCto requiritur utriusque consensus filii & Patris, quod fit, cum, quod filius mutuum accepit, pater ratum habet, cum agnitione vero filii non statim concurrit consensus patris. Ex his omnibus, quæ dicta sunt, apparet, inutilem esse agnitionem, si filius adhuc in patria potestate constitutus debitum agnoverit. Hinc, si solverit aut pignus dederit tanquam filiusfam. certum est, neutiquam hujus pecuniæ vel pignoris dationem validam esse, cum neque pignoris alienandi, neque pecuniæ peculiaris profectitia in hunc casum exsolvendæ potestatem habeat. Quamobrem licet ipse repetere non possit ob obligationem naturalem. *L. 9. §. ult.*

ff. h.

ff. h. t. Pater tamen, si nummi aut pignus adhuc extant, vindicare, si vero consumti, condicere non prohibetur *d. l. 9.* §. 1. *ff. h. t.* nisi pecunia vel res aliqua sub hac conditione donata sit, ut creditori satisfaceret, vid. *L.* 3. §. 2. *L.* 9. §. 1. *ff. eod.*

§. XX.

Quinto locum non habet Beneficium SCti Macedoniani ex parte Accipientis, si filiusfam. deceperit creditorem, se patremfam. asserendo vel etiam jurando, se a patre seorsim habitare. *L.* 1. *C. h. t.* Hoc enim casu mendaci & deceptori non succurritur, quoniam jura deceptis non decipientibus subveniunt, modo tamen, ut jam supra in thesi 8. dictum est, Creditor doceat, se ignorasse conditionem debitoris, eamque inquirere non potuisse, habitumque fuisse publice pro patrefam. &c. Verum hanc sententiam temperandam esse credit STRYCK. *in U. M.* §. 11. dicens: quod tantum valere debeat in præjudicium filii se falso patremfamilias simulantis, non in præjudicium patris, cui ex sua persona eadem exceptio competit. *L.* 7. §. 10. *ff. h. t.* nec filius patris conditionem mendacio deteriorem reddere potest.

§. XXI.

Sexto non juvat SCtum Macedonianum, si filiusfam. studiorum vel legationis causa ad Academiam vel Aulam Principis missus mutuum accepit, ita

ita tamen ut pecunia data sit in sumtus necessarios, v. g. ad pensionem pro victu, amictu & museo solvendam vel emendos libros, honoraria pro collegiis pendenda, licet postea eam in luxum & voluptates citra creditoris culpam consumserit. Creditor autem cautus esse debet & perspicere, ne probabilem modum in mutuo excedat, sed saltem eam quantitatem solvat, quam pater vel mandavit, vel pietas paterna pro dignitate & facultatibus suis non recusaret. vid. LAUTERBACH. *in Coll. g. ad ff. h. t.* §. 24. & BARBOSA *ad L. 5. C. h. t. n. 6.* Quid autem dicendum, si filius haberet Ephorum, (Hoffmeister) quem Pater ipsi proposuit, & qui probabilem modum excessit, dabitur ne Patri Exceptio SCti Macedoniani? Quam plurimi credunt, quod sic, quoniam ei, quem præfecit, mutui accipiendi potestatem non dedisse præsumitur, cum per illum saltem mores & studia filii formare voluerit; ita ANT. MATTH. *disp. de Oblig. 9. th.* 11. Verum contrarium sentiunt LAUTERBACH. *ad h. t.* §. 2. *n.* 8. & LUDWIG. *in differentiis Jur. Rom. & Germ. in Mutuo differ.* 8. *lit. H.* dicentes, quod dolus præpositi in re mandata magis patri præponenti, quam Creditori bona fide cum illo contrahenti nocere debeat. arg. *L.* 11. §. 4. *ff. de Inst. act. L. 5. pr. ff. de Trib. act. L.* 1. §. 9. *L. ult ff. de Exerc. act.* Imputet ergo sibi, quod non meliori curam filii sui commiserit. Ex eo enim, quod actionibus filii Ephorum præfecit,

fluit, quod omnes, qui cum Ephoro contrahunt, non hujus, sed patris fidem sequantur, Est enim hic loco institoris tanquam præpositus filii negotiis. Hæc tamen omnia, ut mihi videtur, limitationem quandam merentur, nam si Creditor scit quantitatem pecuniæ à patre filio adsignatam, & nihilominus nulla necessitate premente ampliorem dederit summam, tunc imputet sibi, quod modum atque voluntatem patris non observaverit.

§. XXII.

Sed quid statuendum est, si filius nolente & invito Patre studia in Academiis tractet, tenetur ne pater refundere mutuam pecuniam, quam ad sumtus necessarios studiorum filius accepit? Respondetur, non expedita est DD. sententia hac in re. Nam alii cum DONELLO *ad L. 5. C. h. t.* ANT. MATTH. *d. disp. th. 22. & Colleg. Argent Jurid. h. t. th. 5. n. 16.* simpliciter negant, eam ob rationem, quoniam sola causa studiorum non dat repetitionem, sed voluntas & utilitas Patris, & quoniam non decet, filium ceu paterni consilii contemptorem, & voluntati patris reluctantem in sua contumacia stabilire atque tueri. Alii contra affirmant cum GLOSSA, & MENOCHIO quoniam filius hisce non corrumpitur, sed doctior redditur, publicaque salus inde promovetur. Denique & alii distingunt cum BRUNNEM. *ad L. 5. C. h. t.* tum ratione Patris, si fortassis filium ad studia aptum semel

mel in academiam miserit, tum ratione filii, si enim excellentissimo ingenio præditus sit, qui aliquando monstrum eruditionis evadere possit, tunc sumtus refundendos esse dicunt, tum ratione disciplinarum, potest enim pater compelli, ut filio primas literas & grammaticam discere cupienti sumtus suppeditet. Tum ratione Creditoris, si hic ignorans filium reluctante patre studiis operam dare, pecuniam dedit, tunc pater teneri dicunt ad restitutionem. Mihi in diversitate harum opinionum sententia *Celeb.* LAUTERBACHII *in Colleg. Theor. Pract. h t.* præ omnibus placet. Hic enim hoc arbitrio prudentis Judicis relinquit determinandum, qui pro conditione, loco, ingenio & fortuna cujusque rem ita temperare debet, ut neque filius refractarius reddatur, neque Pater tenax audiatur. Plura adhuc inveniri possunt apud ENENCKELIUM *de Privil. Par. privil. 7. c. 2. n. 2.* circa finem, qui moderamen inter Dissentientes quoque invenisse opinatur.

§. XXIII.

Non inutilis movetur quæstio, an cesset SCtum hoc, si filiusfam. ejusdem beneficio renunciaverit? Affirmant hoc non infimi subsellii JCti, ZASIUS *Lib. 2. Singul. Respons. cap.* 28. CHRISTINÆUS 3. *Dec. Belg.* 35. *n.* 10. & LINDEMANNUS *in Synopt. Exeg. de Contr. mut. c.* 1. *th.* 52. qui ob sequentes

 ratio-

rationes moti sunt. 1) Quod filiusfam. ex omnibus contractibus tanquam paterfam. obligetur. *L.* 39 *ff. de O. & A. L.* 57. *de Re Jud. L.* 58. §. 2. *ff. Pro Socio.* Ergo etiam ex mutuo obligabitur, si SCto huic renunciaverit. 2) quod multis modis sese filiusfam. hoc SCto privare possit, v. g. debitum agnoscendo, vel solvendo. Ergo etiam renunciatione. 3) quod quilibet favori pro se introducto renunciare possit, ergo etiam filiusfam. SCto in favorem suum concesso. Verum omnia hæcce tela, quibus negativæ sententiæ argumenta destructum eunt, tanti non sunt, ut à defensione negativæ, quam ut communem & veriorem tutioremque esse credo, me absterreant. Constat enim, quod SCtum Macedonianum super causa odii inspicientis fœneratorum sævitiam, qui in mortem parentum incertis nominibus pecuniam filiisfamilias credere non dubitabant, fundatum sit, atque adeo publicæ utilitatis commodum concernat. *L.* 1. *ff. h. t.* Quis autem renunciatione Juri publico derogari concesserit, qui non expresse JCtorum effato convinci erroris velit. *L.* 7. §. 16. *L.* 38. *ff. de Pactis.* Accedit & illud, quod alii maximopere urgent, filiumfam. eadem, qua mutuum accipit, facilitate ad renunciandum quoque induci posse, & ideo frustratoriam esse SCti hujus dispositionem, cum semper induceret occasionem delinquendi, & vitæ patris insidiandi.

§. XXIV.

§. XXIV.

Nec ullius momenti sunt rationes in contrarium adductæ. Concedamus enim filiumfam. ex omnibus contractibus obligari, distinguendum tamen erit inter Regulam & exceptionem. Regulariter filiusfam. ex omnibus contractibus tenetur, exinde tamen necessario non fluit, quod legislator ob bonum publicum & rationes modo allegatas, utilitate ita suadente, hunc contractum mutui ex numero eorum extrahere non possit, eique vim & effectum, quem alias seclusa ejus lege sortiretur, in foro denegare. Largiamur quoque filiumfam. multis modis se hujus SCti exceptione privare posse, nam illa facere potest, si sui juris factus, nos vero loquimur de renunciatione facta, antequam è sacris paternis dimissus sit, & hanc pro nulla habemus. Admittamus quoque, quod quilibet favori pro se introducto renunciare possit, verum hoc SCtum non primario in favorem filiifam. sed in favorem patris & ipsius Reipublicæ introductum esse constat. vid. SCHILTERUS *in Exerc. ad Pand.* 27. *th.* 70. Hæc sententia tam firma tamque valida est, ut ab illa recedere nulla ratio nos jubeat, imo idem dicendum sit, si Juramento corroborata sit renunciatio, frustra dissentientibus Canonistis. Est namque contra bonos mores, quoniam Juramentum hoc videtur invitare ad insidiandum vitæ patris, in quo con-

consistit ratio concessæ exceptionis, & ita nutriret peccatum, & malitiæ creditorum indulgeretur. Dissentitentium opiniones vide apud FACHINÆUM *in L. 2. Controv. 62.* qui eorum sententiam fovet.

§. XXV.

Præter hos hactenus enarratos modos, quibus SCtum Maced. tam ex persona dantis quam persona accipientis eliditur, habemus & quosdam, qui ex qualitate Patris ejus efficaciam extinguunt. Et *primo* quidem cessat, si consensu & voluntate Patris pecunia filiofam. credita fuerit. *L 7. §. 11. ff. h. t. L. 2. & ult. C. eod.* Ratio hujus rei est ea, quoniam periculum patris cessat, cujus securitati Senatus prospicere voluit. Qui consensus patris ipsi etiam præjudicat, & quoad ipsum SCtum excludit. Eapropter, quod ubi pater consentit, ibi nullum periculum corruptionis metuendum est. Accipimus autem voluntatem tribus præcipue ex modis. *Primo*, Si pater filium jusserit pecuniam mutuo accipere, *L. ff. quod jussu.* etiamsi postea mandatum ignorante creditore revocaverit, nihilominus tenetur, quoniam hic initium contractus spectandum venit. *L. 12. ff. h. t.* nec in quos usus pecunia conversa sit, disquiri necesse est, sed modo jussu patris mutuum datum fuisse probetur. Literæ autem commendatitiæ patris consensum mutui non involvunt. *Secundo*, Si sciente

&

& non contradicente Patre pecunia credita fuerit filiofam. *L.* 12. *L.* 7. §. 11. *ff. h. t.* Tacite enim videtur consentire pater, qui potuit prohibere, & pro officio debuit, quod ni ita esset, non continuo velle aut consentire intelligeretur. *L.* 142. *de R. I. L.* 1. §. 20. *de Exerc. Act. L.* 31. §. 1. *de his qui not infam.* Talis tacitus consensus præsumitur, partim ex eo, quod solitus sit pecuniam à filiofam. mutuo acceptam sine contradictione restituere. Admitto hoc tunc, quum doceri possit patrem sæpius solvisse atque hac consuetudine solvendi filii sui creditores quodammodo securos reddidisse. Ast ex eo, quod pater filio unum debitum contrahenti adsenserit, in alia ejus debita consensisse non censetur: Item in mutuum filii tacite consentire videtur pater, si filium tabernæ proposuerit. Varii enim sunt eventus mercaturæ, nam sæpe lucrandi occasiones inopinato offeruntur mercatoribus, sæpe etiam insignis jactura præter spem ad eos redit, & ideo mercaturam luxari oporteret.

§. XXVI.

Tertio colligimus voluntatem Patris per ratihabitionem. Licet enim pater ab initio nec jusserit, nec consenserit, postea tamen ea, quæ acta sunt, ratihabere potest; Patris enim ratihabitio principali mandato absimilis non est, & idem operatur, quod jussus & expressus consensus. Imo omnis

ratiha-

ratihabitio retrotrahitur & confirmat ea, quæ ab initio facta sunt. *L. ult. C. h. t.* Contingit autem hæc ratihabitio, 1) *constituendo*, si pro filio promittit solvere citra stipulationem. 2) *Novando*, si obligationem filii in suam personam transfert. 3) *Fidejussorem dando*, 4) *totum vel partem debiti solvendo*, arg. *L. 2. C. h. t. L. 7. §. 15. L. 8. ff. eod.* 5) *Tacendo ad literas de mutuo filii missas.* Quod si enim receptis literis de filii mutuo per protestationem in continenti interpositam contractum non improbaverit, illum ratihabere præsumitur *L. 16. ff. h. t.* Illud tamen bene observandum est, quod consensus patris non eliciatur ex chirographo, quod sigillo patris munitum aut signatum est, quoniam nec hæc res fraude caret; Facile enim fieri potest, filium luxuriæ deditum patris sigillo invigilasse, donec illud aufferret, & papyrum, vel membranam consignaret. Deinde notum est hodie multa reperiri sigilla eidem familiæ inservientia. Si itaque ex appositione sigilli consensum patris quis colligere vellet, & aliam probationem de scientia patris afferre non posset, rejiciendus erit.

§. XXVII.

Secundo intuitu patris impeditur effectus SCti Maced. si pecunia mutua non luxuriæ impensa, sed in rem & utilitatem patris versa sit. *L. 7. §. 12. ff. h. t.* Cessat enim causa SCti, nimirum metus,

ne

ne insidiis filii pater pereat, aut damnum sentiat. Versa autem in rem patris pecunia intelligitur variis modis, puta, si filiusfam. rem utilem patri comparavit, æs alienum solvit, actionem acquisivit, vel in id impensas fecit, quod patris oneribus incumbit, *L. 2. C h. t.* & ejusdem pietas non recusaret. *L. 5. C. eod.* Exemplum hujus rei esse potest, si filius relegato patre aut longo tempore absente mutuum petiit ab aliquo, ut illud pro sorore sua in dotem daret. *L. 17. §. 2.* Plura exempla extant in *L. 14. L. 17. ff. L. 2. Eod. L. 7. & 2. de in rem verso.* In quibus omnibus non consilium filiifam. de vertenda in rem patriis pecunia, sed eventum spectamus. Hinc, si pecunia sumta sit non animo vertendi in utilitatem patris, & tamen postea in utilitatem ejus versa, ex æquitate cessare debet SCtum Maced. quæ non fert damno alieno aliquem locupletari. Verum contrarium de stricto jure legimus in *L. 9 §. 2. ff. h. t.* ubi dicitur, quod, nequidem si extent nummi, cessat SCtum, & id ex severitate in odium creditoris, cujus improbitas non cessat.

§. XXVIII.

Sufficiant hæc de cessatione SCti Macedoniani ex parte *Creditoris*, *Filii* & *Patris*. Properemus ad finem, & inquiramus, quomodo cesset istud beneficium ratione *objecti*. Hujus ex

E eausa

causa locum non habere dicunt plerique fere DD. si alius contractus, præter mutuum, cum filiosfam. sit initus. *L. 7. §. 3. ff. h. t. L. 9. C. quod cum eo.* &c. aut si alia res fungibilis, quam pecunia numerata, mutuo data sit. *L. 3. §. 3 ff. h t.* Nam licet alias quælibet res fungibilis, quæ pondere, numero, & mensura constat, in contractum mutui veniat *L. 2. § 1. ff. de R. C.* non tamen filiosfam. aliud quid mutuo dari prohibetur, quam pecunia numerata *L. 1. pr. L. 7 §. 3. ff. h. t.* Hæc enim præ omnibus aliis rebus apta est, ut leviter expendatur, & ad omnem luxum & nequitiam instrumentum aptissimum est, & ad quævis mala perpetranda irritamentum. Hæc tamen cum grano salis accipienda, quoniam tantum vera sunt, si nulla fraus SCto huic sit quæsita. Nam si quis in fraudem ejus aliam rem fungibilem, quam pecuniam, e. g. oleum, frumentum filiosfam. mutuo ita dederit, ut rebus his distractis pecuniam nancisci queat, vel etiam res aliqua ipsi sit vendita, ut ille exinde pretium redactum habeat in vicem mutui, utitur filiusfam. SCto Macedoniano, *L. 7. § 3. ff h. t* quoniam dicitur Mutuum Palliatum aut Contractus Mohatra, quod Judæis non incognitum est, & de quo videri potest ZIEGLERI *Dissertatio de Mohatra.* Sic etiam in SCti fraudem factum censetur, si Mercator merces nimis pretiosas vendidit filiosfam. vel si œnopola vinum, cerevisiarius cerevisiam, cupediarius

cupe-

cupedias ultra probabilem modum & solummodo ad luxum concesserit. Hinc etiam peculiaribus statutis in omnibus fere Academiis, ne materia peccandi malis moribus præstetur, certi limites, ad quos usque tales homines credere deberent, constituti sunt, & severitas SCti Macedoniani ad alios contractus producta est. Huc præter alia variarum Academiarum statuta, quæ STRYCK. *in Usu Mod. h. t. §. 2* recenset, merito quoque referenda est saluberrima *Argentoratensium Ordinatio Politica de Anno* 1708. *p* 47. quæ vult, ne caupones, cupediarii &c. de poculentis & esculentis civi academico ultra dimidium floreni ullam fidem habeant, & si habuerint, non audiantur.

§. XXIX.

Coronidis loco unica adhuc quæstio ventilanda venit, an nimirum SCtum Macedonianum, prouti in foro externo, ita etiam in foro interno cesset? id est, num filiusfam. in conscientia non obligetur ad restitutionem mutui? Varie hac de quæstione judicant DD. Illi, qui affirmativæ sententiæ adhærent, sequentia fundamenti loco afferunt. 1) quod SCtum hoc summa æquitate nitatur, & omnis lex æquitatem concernens etiam in foro interno servanda sit. 2) quod SCtum hoc introductum sit eam ob causam, ut malitia Credito-

ditorum puniatur, imputet ergo ſibi, quod contra leges crediderit, hinc qui culpa ſua damnum ſentit, non cenſetur damnum ſentire. Ita ſentiunt præter LAUTERBACH. *in Colleg. Pand. h. t.* § *f* HAHN. *ad Weſenbec h. t. n* 2. ZOESIUS *h. t. n.* 6. aliique. Verum his non obſtantibus inveniuntur, qui negativam mecum fovent ſententiam, aſſerentes, filiumfamilias in foro conſcientiæ utique teneri pecuniam mutuo acceptam reſtituere. Rationes, quibus moventur, ſequentes ſunt. 1) quod obligatio naturalis per SCtum Maced. neutiquam extincta ſit, imo ipſa *lex* 10. *ff. h. t.* profitetur, filiumfam. manere naturaliter obligatum. Secundo accedit & illud, quod ſi filiusfam. ſemel ſolverit, ſolutum repetere prohibeatur *L. Sed ſi pater* §. *ult. ff. h t. L.* 40. *ff. de Cond. indeb.* Certe ſi naturaliter non eſſet obligatus, ſoluti repetitio locum haberet, præſertim cum condictio indebiti toties inſtitui poſſit, quoties ſolutum eſt indebitum naturale. *L.* 10. *de A. & O.* Illud tamen non nego, quod, ſi creditor ſciens in luxurioſos ſumtus ſubminiſtraverit pecuniam, ob fraudem creditoris etiam filiusfam. in conſcientia tutus ſit, nec ad reſtitutionem obſtrictus.

TANTUM.